

dinoso, ligamento nimirum pollicem pedis cum osse metatarsi maiori necente, oriens, & hinc in alios pedis articulos se diffundens. Patet inde podagram arthritidis speciem esse, adeoque non omnes dolores extremi pedis illud nomen mereri.

§. III.

Sedem mali in neruosa potissimum parte quaero, siue sit vitium ipsorum neruorum, siue liquidi contenti. Neque enim illos multum a vero discedere existimo, qui dispositionem hic in spiritibus statuunt ei analogam, quae in sanguine inflammationem facit. Argumento hic est, quod podagra non alias inuadat, quam quorum sensibiores nerui sunt; quod partes etiam non tumentes, adeoque minimas, summis doloribus excruciet; denique ab iis caussis nascatur, quae neruos proxime laedunt e. c. ira, venter, terrore, lucubrationibus. Adde quod intellectu iam facile sit cur remediorum alioquin efficacissimorum, quia ad ultima non perueniunt, inanis sit usus. Transeant eorum naeniae, qui nunc ab excrementis cerebri, nunc a sale acido, nunc bilioso, nunc tartareo mali originem ducunt.

§. IV.

Decursum podagrae nemo exactius Sydenhamo descripsit. Is, dum indigestionem viscerum pro causa agnoscit, difficultatem medelae pulchre explicat. Quicquid enim ad minima vasa per tot series maiorum vasorum transire, & ab omnibus certum mutationis gradum suscipere debet, ut illa dote imbuatur, quae extre-